



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Duo Tractatus

Moneta, Giampietro

Marburg, 1628

I. Intra quantum tempus fieri debeat Optio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63048)

rudine, seu statuto optandi, quia nemo optavit, alia secus.

53 *Iudex competens in causa restitutionis in integrum aduersus omissam optionem quis sit.*

54 *Arbitri, & arbitratores an possint restituere, vel saltem pronunciare esse restituendum, remissive.*

CAP. VI.

De tempore optionis, seu quando optandum sit.

QUÆRO PRIMO, *Intra quantum tempus fieri debet optio?*

Respondeo, quod regulariter loquendo † fieri debet intra 20. dies. *Quamvis enim tex. d. c. fin. §. ne autem, de consuet. in 6. loqui videatur solum, ubi est expectans, seu executor, tamen id absolute † in omni casu locum habere, etiam ubi nullus adsit executor, vel expectans, exponit, ac tenet ibi gloss. in verbo, 20. dies, ubi Archid. Io. An. Gemin. Franc. & ceteri, quod etiam voluerunt. Add. ad Rot. decis. I. num. 8. de rer. permut. in no. Franc. Marc. decis. Delphin. 1258. nu. 5. Abb. consil. 159. n. 3. vol. I.*

QUÆRO SECUNDO, *An possit hoc tempus prorogari, vel minui?*

PRIMA CONCLUSIO. *Minui † potest hoc tempus per Capitulum ipsum, satis id colligitur ex gloss. pen. d. c. fin. & clarius ex Franc. ibid. in §. ult. ad fi. ex eo, quod dilatio hæc in favorem optare volentium inducitur, cui quilibet † renuntiare potest, c. ad Apostolicam, de regul. l. si quis in conscribendo, C. de pact. cum simil. dum tamen † in id quoque consenserint omnes optare volentes. Neque enim singulis nocet † factum à majori parte collegii in præjudicium singulorum, nisi omnes consentiant, ut voluit gloss. in l. 2. verbo, aut legem, C. qua sit long. consuet. quam sequitur Bartol. in proem. ff. num. 5. Fel. in c. cum omnes, numero 18. & ibi Andr.*